



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Modi LX Sacrae Orationis variè Formandæ

Kojałowicz, Kazimierz Wijuk

Antverpiae, 1668

Modus Vigésimus Tertius.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-69292](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-69292)

MODUS VIGESIMUS
TERTIUS.

Est expositivus, aut explanatorivus, quando sententia aliqua Evangelii, aut alterius scripturæ habens sensum involutum, ac incertum exponitur. Ostendendo, quis illius germanus sit sensus. Porro, aut sensus ille quem proponimus, solum vulgo ignotus est, neque habet alios sibi oppositos: aut non solum est ignotus, sed & oppositos paritur. In primo casu satis est, explanare germanum sensum, confirmare, amplificare. In secundo possunt etiam alii sensus, & interdum debent citari, ut illis refutatis, noster magis innotescat. Inter sententias huic explicationi conducentes, posset esse illa D. Paul. ad Hebræos 5. *Crucifigentes iterum filium Dei in semetipsis.* Alia enim, & vulgi rationem superans, est item illa. *Cognosco oves meas* Joan. 10. Ambiguitatem enim parit, de qua cognitione sit sermo, quando nihil fugit scientiæ Dei: nec dubium esse potest, quod sit sermo de cognitione Practicæ DEI, de qua Incertus Tit. 3. Biblioth. PP. hic. *Cognoscere, Domini diligere est.* Unde, & in iudicio dicturus est quibusdam. *Amen dico, Nescio vos, alioquin qui omnia scit, quomodo ignorare aliquid potest.* Nota illud, *cognoscere, diligere est,* & disce sensum, similitudine Parentum, filios dilectos, & exolos, hac voce distinguentium. *Meus est hic: Hunc alium nolo meum* Psalm 79. *Qui deducis velut ovem, Joseph:* Non de hoc solum plau-

dit Psaltes, quia Dominus ducit, velut ovem Joseph: sed quia deducit: quod est idem, quod cognoscere oves, quia cognoscere diligere est, quod rursus Psaltes notavit, quando edixit, *quia novit Dominus viam justorum, & iter impiorum peribit.* Plal. 10. Itaque, *secure pascant oves Christi, licet pastores sui, eas derelinquant, in necessitate: licet substantiam temporalem non illis tribuant, sed in aliorum usus convertant: tamen D. JESVS CHRISTVS verus Pastor, diligit eos, & vitam eternam dabit.* D. Aug. Tit. 3. bibli. in serm. Haimonis.

P R A X I S.

Feria tertia Pentecostes.

Ego veni ut vitam habeant & abundantius habeant.
Joann. 10.

Accessus & propositio. Illustre hoc est, de Christi Domini in nos liberalitate testimonium; sed, qua ratione nobis abundantius vitam impertiatur, non satis, prima fronte notum, imò quasi paradoxum. Expendamus igitur hanc beneficentiam diligentius, ut ad gratitudinem animemur abundantius.

Confirmatio, debet constare expositione, germani sensus ejusque probatione.

Quod anima est corpori, hoc Deus anima, dixit verissimè Augu: eo, quod gratiam Spiritus Sanctus infundat in corda fidelium, quæ est principium & radix vivendi divinè, animæ. Illa enim movet animam ad rectè operandum.

120 MODVS VIGECIMVS TERT.

illa facit actiones dignas anima & Deo, illa animæ vita est, qua si quis vivens in ipsa morte corporis invenietur, vivet iterum, vita gloriæ in æternum, Proinda, duplex est vita, de qua verba Christi Domini: *Ego veni, ut vitam habeant, & abundantius habeant*, sunt intelligenda: vita gratiæ qua vivit anima per Deum, & vita gloriæ, qua vivet per Deum, in Deo, cum Deo, æternum videndo, amando, gaudento, & quidem

Quo ad vitam Gratiæ venit Christus, ut eam abundantius habeamus: quia per ejus adventum, Et facilior peccatorum, quæ tollunt vitam, remissio est reddita, ut sic vitam, cum volumus arripiamus: & copiosiora multò quam ante auxilia, ad illam acquirendam fovendamque allata. Sunt quidem qui obmurmurent, faciliorem fuisse, reditum ad Deum olim, ac proindè facilius vitam gratiæ acquiri potuisse. Scilicet nihil requirebatur, nisi vera cordis contritio, nunc autem accessit confessio, in qua non leves difficultates obveniunt. Hic sensus & ignavus, & rudis est. Ignavus quidem; quia in rei preciosissimæ, qualis est salus, & vita animæ, curâ, minimos labores æstimat. Rudis, quia non satis, & capit, quid vera contritio ferat, quæ si adesset, in publicam etiam peccatorum confessionem, cum Magdalena rueret. Parvum verbum contritio, sed grande ejus mysterium, Quis norit? Utrum dicat, Peccavi cum Davide, aut filio prodigo? an cum Saule, aut Antiocho? quis certus sit, se in contritione odisse peccatum super mala omnia, & moveri ad ejus odium propter Deum amatum super omnia?

omnia? non verò immisceri dolori timorem DEI se punientis, aut amorem sibi prosperantis, aut periculum vitæ à Deo ob peccata tollendæ, quæ & similia, tollunt perfectionem contritionis, & solum faciunt attritum; ac proindè illos actus, non sequitur justificatio, nec vita animæ. Vis hic gratiam experiri Christi, atterere & confitere, & ecce actus, qui non sufficiebat vitæ reddendæ, faciet te, cum Sacramento, ex attrito contritum, & vitam, in dubitatè restituet, ut Docet Tridentinum. D. Thomas in tertiam Partem, Metaphoram Contritionis & Attritionis, à rebus quæ conteri solent, ait sumptam. Age, quid facilius? conteri, E. g. Saxum & in cineres redigi, an solum atteri? Saxum & petra durissima, est cor peccatoris. Conteri illud omnimodè opus erat, ut in vitam animaretur: nunc atteri satis est, quia Christus venit, ut vitam per eum habeamus, & abundantius habeamus.

Quanta verò, ejusdem abundantia accessit, ex auxiliis vitæ, acquirendæ fovendæque, legi veteri ignotis? Crediderim equidem motiones voluntatis, & lumina intellectus, vocationesque omnimodas frequentiores à Christi adventu fidelibus communicari, sed ne aliquis id incertum velit, fontes beatissimos ac publicos, vitam & gratiam fundentes, cogitemus. Sacramenta, scilicet à Christo Domino in Ecclesia instituta, gratiæ dum non obstemus, ex opere operato immediatè causativa: quorum nulla habuit lex vetus, sed solum Ceremonias & Ceremonialia & ut ait Apostolus ad Heb. 10. *Umbras futurorum bonorum* D. Bernar. huc allu-


dens, Ser. 2. in Cant. legem Moysis aut Moysen, comparat Giesi, cum baculo ad suscitandum filium Sunamitis misso: cui vitam reddere minime potuit. Unde inclamat. *Sequatur Dominus nuntios suos, quia sine ipso possunt facere nihil: misit puerum, tulit baculum, & nec dum est vox neq; vita. Non surgo, non suscitor, non excutior de pulvere, non respiro in spem: si non propheta, ipse descendat, & osculetur me osculo oris sui.* Vox hæc Bernardi vox totius humani generis olim fuit; qua, tractus clementissimus Dominus, de cælis venit, ut vitam habeant, & abundantius habeant. Celebratur apud Senec lib. 9. de Clem. Augusti beneficentia, quod Cinnæ proditori suo propinaverit, inquit. *Vitam tibi Cinna iterum do, prius hosti, nunc insidiatori, ac parricidæ. Experiamur Utrum ego meliori fide vitam dederim, an tu debeas?* O quanto major, magna etiam hac liberalitate, nostri Servatoris! qui non jam semel ac iterum, sed toties nobis vitam per Sacramenta proponat? Quoties dignè illis uti volumus, possumus, quãvis non rarò in eum sæviamus, qui se ipsum, vitæ nostræ nutrimentum esse vult, ut meritò exclamat D. Chrysi Homil. 61. ad Antioch. *Hei mihi, quot ad salutem nobis via! Nos corpus suum effecit, nobis suum communicavit corpus!* Hoc est vitam velle dare, & abundantius dare.

Quoad vitam gloriæ. Venit item Christus ut eam abundantius habeamus. Quia, & ingressus ad eam, quotidie patet, & electio ac salus æterna, ad plures quam in lege veteri refertur. Ad Hebr. 9. *In secundo inquit D. Apostolus, tabernaculo, semel in anno solus Pontifex introibat, non sine sanguine. Hoc signifi-*
canti

ante spiritu sancto, nondum propalatam esse sanctorū
 viam, adhuc priore tabernaculo, habente statum.
 Non enim decorum erat, pergit Primasius ad Gal. 3.
 aut milites qui sub vexillo Christi in veteri testamen-
 to stipendia meruerant, ante ducem triumphare: aut
 prius membra quam caput, celesti gloria exornari.
 Sanguis igitur Christi, inquit Hier. ep. 129. ad Dar-
 dan. clavis paradisi est dicentis ad latronem. Hodie
 mecum eris in paradiso. Et à Christi ingressu, patuē-
 re duodecim cæli portæ Apoc. 21. ne una quidem
 clausa: cum ne una, antehac, fuerit aperta, quæ etiā
 versus omnes orbis partes patent, ut vitam homi-
 nes habeant, & abundantius habeant, & salus cujus
 spe, gloriabantur soli Hebræi totius orbis habita-
 toribus pateat. Apoc. 7. audit de cælo D. Joannes,
 numerum signatorum, centum quadraginta quatuor
 millia signati, ex omni tribu filiorum Israel. O vitæ
 æternæ parcam possessionē! Hem nos! si tam pauci
 censeamur. Absit: venit Christus ut vitam habeant,
 & abundantius habeant, ideoq; addit D. Joannes.
 Post hæc vidi turbam magnam, quam dinumerare
 nemo poterat, ex omnibus gentibus, & populis, & lin-
 guis, stantes ante Thronum, & in conspectu agni. Cer-
 te SS. Martyrum, sub solo Diocletiano, inuenies vi-
 cies centena millia. Singulis enim mensibus per 10.
 annos occidebantur 17. millia. In lib. 3. D. Brigittæ
 legitur, solum Romæ quolibet die anni, posse cele-
 brari 7. millia Martyrum. Et eodem lib. c. 17. dicitur
 Si mensurares terram 100. pedum in longitudine, &
 totidem in latitudine, ut seminares eam puris grano
 tritici, quodlibet verò granum, daret fructum
 centuplum, adhuc essent plures Martyres,

&

*& Confessores, Roma à Sancti Petri tempore, usq; ad
Caestinum. Jubilet ergo Deo, omnis terra, & a-
pud se unusquisque & pendat, quàm irrationabi-
le & insanum; vitam quam per Christi gratiam
abundantissimam licet habere, sponte sibi detrahe-
re, ac imminuere.*



MODUS VIGESIMUS QUARTUS.

MEminit illius Sixtus Senensis Bibliothecæ
suæ cap. 2. & P. Carolus Regius Societatis
nostræ lib. de Inventione Orationis Sacræ: quan-
do tota concionis supellex, desumitur ex concor-
dantiis scripturæ hoc modo, ut dicturus Oratio-
nem, assumpto subjecto sententiæ, vel prædicato,
vel utroque percurat in Concordantiis similia ver-
ba, item Synonima, ac etiam aduersa, factaque re-
flexione ad suum intentum, ex historiis, & senten-
tiis per Concordantias insinuatis, colligat in unum,
quæ ad rem faciunt: eliciendo rei assumptæ, defi-
nitiones, causas, effectus: aut advertendo, ad cir-
cumstantias, quis, quid, ubi. Sic enim, copiosa, non
poterit non colligi, dicendi materia; qua in for-
ma orationis, pro suo placito disponet. Dicã quod
sentio, Modus hic suggerendæ materiæ est aptus,
sed prudentiã judiciosã indiget; ne verba secuti,
multa ineptè congeramus, atque cum de re pluri-
ma dixerimus, ad rem nihil dicamus: & tædii labo-
risq;